

» praejudicium dictae romanae ecclesiae tendentis, ligam, confe-  
» derationem, seu colligationem vel intelligentiam ineant, aut ha-  
» ctenus forsitan initas, factas et conclusas, quae quatenus ad prae-  
» judicium praedictae ecclesiae tendant, etiam si poenarum adie-  
» ctione juramentoque sint vallatae, illarum tenores ac si insere-  
» rentur pro expressis habentes, non tenere et nemini quominus  
» eisdem Venetis favendo sub colore earum censuras et poenas  
» praedictas incurrant, excusationem praestare posse declaramus,  
» observent quoquo modo. Ceterum si moniti, excommunicati, in-  
» terdicti, anathematizati, maledicti privati et inhabilitati praedicti,  
» postquam privationis et inhabilitationis poenas praedictas incur-  
» rerint, obstinata animi duritie nostris monitioni et mandato prae-  
» dictis ulterius distulerint obtemperare, ex nunc prout ex tunc  
» omnes reges, duces, principes, marchiones, barones, communi-  
» tates, universitates et quoscumque alios terrarum dominos et  
» gentium armorum capitaneos ad quorumcumque fidelium stipen-  
» dia militantes et alias quoscumque personas tam per mare quam  
» per terram facultatem et potestatem habentes, requirimus per  
» praesentes eisque et cuilibet ipsorum in virtute sanctae obedien-  
» tiae praecipimus et mandamus, quatenus contra eosdem Venetos  
» hac in sua obstinatione perseverantes, pro honore praedictae  
» sedis armis insurgant eosque persequi et debellare ad restitutio-  
» nem quoque oblatorum sanctae Romanae ecclesiae faciendam  
» cogere procurent, et ne nostras civitates et loca quaecumque oc-  
» cupant, se eis opponant et in ipsorum Venetorum poenam et pro  
» eorum plectenda rebellionem hujusmodi quoscumque Venetos et  
» eorum civitatibus, terris et locis et dominiis degentes, et civita-  
» tum, terrarum et locorum, quorum communitates, universitates  
» et incolae praefatos Venetos in eorum dominos recognoscere et  
» eis ut eorum dominiis obtemperare praesumpserint, postquam  
» ipsi Veneti privationis juris eorum in illis poenam incurrisserint,  
» ubicumque eos invenerint, capiant et captivos teneant, eorum-  
» que mercantias, pecunias, navigia, credita, res, et bona omnia